

phanticis, quos leprosos vocant, qui propter nimiam sanguinis falsedinem admodum sunt salaces. Salacitatis exemplum habemus in Augusto Cæsare, qui reje-ctâ uxore Scriboniâ, Liviam quasi marito concedente sibi conjunxit. Quum aliquando illustrem quandam fœminam curru intecto & suo sigillo clauso ad se du-ci jussisset, Athenodorus, qui Augusto familiarissimus erat, gladio assumpto pro muliere currum clam ingressus est, & ita ad Augustum adductus, quem propriâ manu vela vehiculi retegentem repente gladio ador-tus est Athenodorus his verbis: *Deinde non times ne aliquis hoc pacto te trucidet?* Et Imperat. Caligula mulierem jam desponsam viro eripuit, quam deinde mox odio habuit; cum sororibus congregari non erubuit. Heliogabalus ad monstrum usque Veneri scelere mancipavit, & per sancta cava corporis Saryorum more libidinem exercuisse scribitur. Quid Antoninus Caracalla? quum Julianam novercam magna ex parte corpus nudantem vidisset, O quam vellem, inquit, si liceret! cui illa, Si libet, inquit, licet; an nec sis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Ælius Spartianus. David aspiciens Bethsebam, illicito igne uritur, & adulterium committit, *Samuel II.* Salomon 300 habuit uxores, & 700 concubinas, *Regum II.* Amnon filius Davidis sororem Thamar vi-tiat, *Samuel II.* Noti sunt Sodomitani, Gomorrhæi, item Gibeonitæ, *Judic. 19.* Porrò vagæ & pravæ libidinis exempla passim occurunt in historiis, ubi simul consecuta peccata indicari solent. Legatur aureus libellus Johan. Spinæi de tranquillitate animi lib. 5. in voluptatem.

3 Castitati in defectu opponitur nimia abstinentia in Venere, per quam homo minus quam oportet rebus Venereis operam dat.

SCHOL. Admodum rarum est hoc vitium. Ab
imo rarissimum inhone-